

niora molliter rufo- vel ochrascenti-hirta, praeter nervos sensim glabriora, demumque lucidula, 10—4½ poll. longa, 4½—2 lata, in siccis caducissima. *Flores* axillares, solitarii, *pedunculo* tenui hirtello nunc ebracteolato circiter semipollicari suffulti. *Sepala* ovata libera haud crassa, extus hirtella, intus subglabra. *Petala* iam aperta lanceolata, a basi inde pedetentim attenuata, acutiuscula, plana, utrinque pube molli brevi tenuiter pubescentia, haud exacte aequilonga, leviter curvata, semipollice parum longiora. *Stamina* pluriserialia numerosa, pallida, cuneiformia angulata, connectivo haud rhombeo, sed potius subrotundato et subangulato centroque leviter depresso superata. *Carpella* satis numerosa. *Submatura* toro vix incrassato inserta, pisi maioris mole ellipsoideo-globosa vel subglobosa, stipiti tenui subaequilonga, glabra, nigrescentia, *pericarpio* tenui fragili, monosperma — *Nova Guinea*: ZIPPELIUS*.

5. **MONOON? MACROPODUM** MIQ. *n. sp.* Innovationes rubiginoso-tomentosulae; folia modice petiolata, e basi obtusa vel acuta elliptico-ovato- vel obverso-oblonga, modice et latiuscule acuminata, firmiter chartacea, supra lucida glabra, subtus pallidiora et praesertim in costa costulisque (utrinque 10—8) cum petiolo ramulisque adpresse pubescentia, pube fere omnino simplici; pedunculi laterales brevissimi paucibracteati, pedicello solitario? unifloro; sepala parva ovata acuta pilosula; torus in fructu parum incrassatus tomentellus poly- (20)- carpus; carpella submatura stipitibus tenuibus strictis puberulis snffulta ellipsoidea submucronulata puberula glabrescentia, monosperma, endocarpio cartilagineo. *Guatteria macropoda* ZIPPEL. *herb.*

“Caulis arborescens.” *Ramuli* tenues leviter flexuosi serius glabrescentes. *Petioli* antice canaliculati, 2½—2 lin. longi, nigrescentes. *Folia* supra lucida, in sicco subnigrescentia, subtus olivaceo- viridula nitidula, nunquam prorsus glabrata, “setoso-pubera, in nervis venisque setoso-tomentosa,” pube in parenchymate etiam partim persistente, “subundulata,” costulis erecto-patulis satis conspicuis ante marginem in venas flexuose delitescens, venulis oblique transversis parum conspicuis, 9- plerumque 8—6 poll. longa, 3—2 lata. *Pedunculi* (“terminales oppositifolii axillaresque”) in nostris laterales, folio superposito paullo demissius exorti, bracteolati, probabiliter abortivis pedicellis instructi, in fructu unum pedicellum pubescentem, cum ipso 1½ poll. longum haud crassum sed strictum exserentes. *Stipites* circiter semipollicares, *carpello* paullo breviores; haec ellipsoidea apice magis puberulo acute protracta quasi mucronulata, “ovato-oblonga obtuse acuta tenuissime pubera saturate citrina,” in sicco atra, pericarpio haud crasso sed cartilagineo-firmo, extus hinc linea longitudinali quasi suturali notata. *Semen* conforme nondum maturum valde ruminatum. — *Nova Guinea*: ZIPPELIUS.

6. **MONOON CHLOROXANTHUM** MIQ. Folia innovantia subtus in nervis subtiliter pubera, adulta cum ramulis superne leviter angulatis glabra, distincte petiolata, elliptico-oblonga subacuminata, basi rotundata vel obtusa, subpergamacea, subtus utrinque circiter 16-costulata, subavenia; pedunculi (axillares vel laterales) tenues cum calyce pubescentes; sepala 3 abbreviato-lato-rotundata; petala linearia, a basi versus apicem angustata, subaequalia, extus pubescentia; torus convexus hirtellus; stamina numerosissima brevi-cuneiformi-prismatica, connectivo crasso truncato-rhombeo superata; carpella haud numerosa, hirtella, uniovulata? *Unona chloroxantha* ZIPPEL. *herb.*

M. laterifloro affine. *Arbor*, ZIPPELIO teste, 60—80-pedalis. — *Ramuli* tenues leviter flexuosi. *Folia* in vivo transverse subplicato-venosa, undulata, membranacea, iuniora in nervis pubera, in sicco nunc griseo-virentia, supra nitidula costaque sulcata, subtus pallidiora, costulis validiusculis subpatulis versus margines arcuatis in venas flexuosas anastomosantes delitescens, venis transversis haud conspicuis, pleraque elliptico- quaedam obverso-oblonga, apice omnia fere sphacelata, teste ZIPPELIO (ut videtur breviter) acuminata, 12 poll. circiter longa, 4½—3½ lata, *petiolis* nigrescentibus crassis antice obiter canaliculatis, 4—3 lin. longis suffulta. “*Pedunculi* laterales in glomerulis fasciculati uniflori.” *Flores* in sp. nostris separati prostant sed *ramus biennis* adiacet, ex axillis nudis *gemmas florales* multifloras exserens, unde pedunculos fasciculatos esse constat, *pedunculis* fere pollicaribus ebracteolatis vel paullo supra basin *bracteola* unica parvula (ubi pedicellus quasi articulatus) instructi. *Calyx* brevissimus, intus glaber. *Petala* a basi latiuscula extus ochrascenti-villosula linearia pedetentim angustata acuta subaequilonga “subfalcata (sed partim diffracta), 10 lin. longa,” marginibus revoluta, viridi-fla-

* Vir indefessus hanc speciem, quam *Guatteriam villosam* dixit, bis discriptam reliquit, stirpem scil. florentem atque fructiferam.

a. “Caulis arborescens; foliis breviter petiolatis oblongis ovato-oblongisve acuminatis basi rotundato-subcordatis venosis obsolete villosiusculis, subtus margine nervo petiolis pedunculis ramisque dense olivaceo-villosis; floribus axillaribus solitariis petiolo longioribus pendulis; petalis stramineo-flavis basi macula atroviolacea notatis virescenti-flavis confluyente; petala lanceolata obtusa extus margine revoluta-complicata; fructus ovals pisiformes miniatii glabri.”

b. “... folia subrugulosa supra adpresse strigoso pubera, subtus pallide glaucescentia setoso-mollia, nervo ramulisque virescenti-fusco-tomentoso-villosis; pedunculi... erecto-patuli interdum cernui albido-pilosi; fructus mediocriter stipitati ovati obtusi fusco-coccinei, stipitibus purpureis.”

vescentia." Genitalium globulus parvulus. *Antherae* exsiccatæ fuscæ. *Carpella* pauciora prismatico-oblonga parva, probabiliter haud satis adulta, examini difficillima, forsân uniovulata. — *Nova Guinea*: ZIPPELIUS.

7. **MONOON?** **OLIGOCARPUM** MIQ. *n. sp.* Innovationes subgriseo-velutinae; folia adulta cum ramulis glabra, breviuscule petiolata, e basi rotundata vel acutiuscula elliptico-oblonga ellipticave breviter acute acuminata, chartacea, magnitudine nunc valde diversa, costulis utrinque 15—8 erecto-patulis prope marginem arcuato-evanidis subtus prominentibus, venis transversis subobsoletis; pedunculi axillares breves, fructiferi e toro parum incrassato subgloboso oligocarpi; carpella matura nunc 6 stipitata ellipsoideo-oblonga, pericarpio tenui laevi, monosperma.

Species distincta, foliis *Trivalvariae macrophyllae* et *Unonae costatae* quodammodo similis, sed haec in nostra multo tenuiora; fructus indole ductus, huc provisorie retuli. — *Innovationes* griseo-villosulo-velutinae, in speciminibus fructiferis nostris autem omnes partes glabrae, supersunt saltem in foliis hic illic pili perrari; costae probabiliter in iunioribus speciminibus adpresse pilosulae. *Ramuli* tenues. *Petioli* antice aperte nec profunde canaliculati, 3—1½ lin. longi. *Folia* exsiccata pallide griseo-virentia, supra opaca, costa parumper canaliculata, subtus pallidiora haud lucida, costulis erecto-patulis haud crassis sed perspicue prominentibus, prope margines non nisi per anastomoses hic illic subunitis, tenerrime vix perspicue transverse venosis, numero cum folii magnitudine incremente, alia magna oblonga, pedalia, 4 poll. lata, alia minora magis elliptica, minima usque quadripollicaria. *Pedunculi* ex axillis nunc defoliatis solitarii, fructiferi ¾ poll. circiter longi, basi per breve spatium crassiores et cicatrisati (*pedunculus proprius*), caeterum laeves et teretes. *Torus* nuclei cerasorum mole, *Carpella* stipitibus fere semipollicaribus suffulta, oblongo-ellipsoidea, basi obtusa, apice obtuso brevi-contracta, 1½ poll., *pericarpio* coriaceo tenui subfragili. *Semen* conforme utrinque obtusum, testa pallida laevi. — *Sumatra occidentalis*: KORTHALS.

8. **MONOON?** **COSTIGERUM** MIQ. *n. sp.* *Ramuli* teretes, iuniores adpresse dense griseo-pubescentes (pilis quibusdam patulis); folia breviuscule crasse petiolata, e basi acuta vel lato-subcuneata oblongo-lanceolata vel lanceolato-oblonga modice subabrupte acute acuminata, coriacea, cum petiolo utrinque in costa densius, in costulis et extra eas parce subadpresse pubescentia glabrescentia, supra nitida costulis canaliculato-depressis, subtus his utrinque circiter 12—16 validis alte prominentibus arcuato-erecto-patulis prope margines exacte unitis oblique transverse venosis pertensa; flores....; carpella (juvenilia) oblongo-ellipsoidea brevi-stipitata glabra monosperma.

Huc retuli ob carpella monosperma et quia KORTHALSIUS, qui vivum et florens vidit, "*Guatteriam*" praedica-verit. *Flores* autem speciminibus nostris prorsus desunt. — *Ramuli* teretes, serius cum foliis fere glaberrimi. *Folia* latitudine et magnitudine perquam diversa, *petiolis* antice canaliculatis dorso praesertim convexo-crassis nigrescentibus 3—2 lin. longis suffulta, maiora lanceolato-oblonga, circiter pedem longa, 3—2½ poll. lata, vetustiora exsiccatione subolivacea utrinque lucida, minora 7½—10 poll. longa, 2¼—2 poll. lata, fere lanceolata, exsiccata gilvescentia, firma lucidaque, pube praesertim in nervis obvia, in petiolo et costa utrinque diutius persistente, in costulis cito rarescente, adpressa vel passim subpatula. *Carpella* supp. prorsus immatura anguste ellipsoidea, glabra, 4—2 lin. longa, stipitibus tenuibus subaequilongis suffulta. — *Sumatra occidentalis*: KORTHALS.

9. **MONOON?** **SUBLANCEOLATUM** MIQ. *n. sp.* Gemmae subgriseo-tomentellae; ramuli angulati sub-tetragoni inferne teretes, (sp. fructiferi) cum foliis glabri; petioli breves tumiduli; folia e basi acuta, cuneata vel obtusiuscula lanceolata in acumen longiusculum apice obtusiusculum sensim excurrentia, firmiter pergamacea, supra costa sulcata, sublucidula, subtus pallidiora, costa prominente, costulis utrinque 14—9 patulis prope marginem arcuato-delitescens vel obiter coniunctis tenuibus prominulis subaveniis; pedunculi...., flores...; carpella longe stipitata obovoideo-ellipsoidea monosperma, semine subellipsoideo, uno latere rhapsae profunde sulcato.

Ramuli tenues; vetustiores subteretes, cortice nigrescente. *Petioli* nigrescentes tumiduli rimulosi, antice obiter canaliculati, subcylindracei, 2½—2 lin. longi. *Folia* in sicco pallide fuscula, vetustiora utrinque lucidula, et haec supra subviridula, subtus costulis subacutioribus sed tenuibus saepe suboppositis, patulis, sed prope margines sursum arcuatis notata, elliptico- usque anguste lanceolata, 6½—3½ poll. longa, 1⅓—¾ lata. *Carpella* separata prostant nigrescentia glabra, stipitibus basi curvulis haud crassis 1⅓—1 poll. longis, suffulta, fere pollicem longa, apice obtuso-rotundata, basi subattenuata, pericarpio tenui subfragili, semine inferne acutiusculo, apice rotundato-obtuso. — *Borneo australis*, in m. Pamatton: KORTHALS.

MONOON CANANGIOIDES MIQ. — *Guatteria Parveana* MIQ. — *G. canangioides* ZOLL. — *Uvaria* ei. — *Carpella* numerosissima, ovario elliptico-oblongo angulato e basi uniovulato, stigmatibus obovato-oblongo. — *Sumatra*.